

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

---

Martin Brasch Hermann Samson

**ORATIO || DE || NATVRA ET || PROPRIETATIBVS || CALVMNIAE,|| Scripta &  
recitata in inclytâ Academiâ || ROSTOCHIENSI,|| Sub praesidio || M. MARTINI  
BRASCHII || Logices Professoris publici.|| ab || HERMANNO SAMSONIO ||  
Rigensi Livono.|| et || ... DN. NICOLAO ECKIO ... || dedicata.||**

Rostock: Reusner, Christoph aus Neustadt, 1600

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1042271518>

Druck Freier  Zugang



M. Brasch  
R. u. phil. 1600





ORATIO  
DE  
NATVRA ET  
PROPRIETATIBVS  
CALVMNIAE,

Scripta & recitata in inclytâ Academiâ  
ROSTOCHIENSI,

*Sub præsidio*  
M. MARTINI BRASCHII  
Logices Professoris publici.

ab

HERMANNO SAMSONIO  
Rigeni Livono.

¶

Viro amplissimo, Clarissimo & Consultissimo  
DN. NICOLAO ECKIO, REIPVB.  
RIGENSIS CONSVL Dignissimo, Ecclesia &  
Scholæ præsidi vigilantissimo, Domino ac  
Mecœnati suo observanter co-  
lendo, dedicata.

1690

ROSTOCHII  
Exprimebat Christophorus Reusnerus. 1690.





D. O. M. D.

# In Scholâ nostra ORATORIA

D E

CALVMNIA Diaboli, unde nomen habet, sibole,  
mendacij sorore, invidiae comite, rerum publicarum  
privatarum pernicie, amicitarum evertrice,  
bonorum insidiatrice, malorum  
occulto gladio;

Hodierna die hora III. postmeridiana Ora-  
tione eruditâ differet


Optimus & doctrinâ ac virtute ornatissimus juvenis

HERMANNVS SAMSONIVS  
RIGENSIS.

Ei auscultare, & hujus pestis naturam, proprietates  
& deformitatem ex illius Oratione cognoscere cu-  
pientibus non modo liberum aditum facio, sed  
etjam eorum præsentiam non ingratam  
mihi futuram significo

MARTINVS BRASCHIVS.

PP. ROSTOCHII Anno 1600.  
Calend. Martij.



Bbatem quendam pietatis  
studio clarum, moribus li-  
matum, & annis gravem  
ferunt auditores duas impa-  
res sarcinas arena comple-  
visse; & grandiorēm qui-  
dem tergo, minorem vero pe-  
ctori suspensam applicuisse. Rogatus à sodale, quid-  
nam sarcina sibi vellent? Grandior, inquit, à ter-  
go propendens meos recondit reatus, qui aut raro ocu-  
lis obversantur, aut nullos omnino animi cruciatus  
mihi incutunt. Anterior autem & minus quidem  
capax ad vitia proximi mei suscipienda est compara-  
ta. Vedit nimirum vedit homo prudentissimus,  
multos esse, qui dispiciant festucam in oculo fratris,  
cum trabem in proprio circumferant. Si enim man-  
tic& fiat inversio, & quod à tergo pendet, revocetur  
in pectus, omnino fieri non poterit, quin minus præ-  
cipites simus futuri ad male loquendum de alijs.

A 2

Hinc

Hinc fit quod Argo oculatores sumus in aliorum na-  
vis per vestigandis: in proprijs autem vel Tiresia ca-  
ciores. Hinc fit quod noctuino ovo aut phanice ra-  
riores sint, qui sese retexant, sua agnoscant vi-  
tia, doleant, emendent. Hinc fit quod quovis fe-  
re numero plures sint, qui in alios sannas & scoma-  
ta jacent, eorumq; nervos ad vivum resecant. Ex-  
clamet hic quis cum doctissimo illo, Persio.

Vt nemo in se se tendat descendere: Nemo!  
Sed praecedenti spectatur mantica, tergo.

Omnes

Pelliculam veterem retinent, & fronte politi  
Astutam vapido servant sub pectore vulpem.

Sunt equidem longè homines ipsis bestijs praestan-  
tores: quippe quæ ad pastum duntaxat abjecta fe-  
runtur, & omni rationis lumine destituantur. At  
nihilo interim minus communia cum illis vitia ha-  
bent: ignaviam cum asino, superbiā cum pavone,  
fraudem ac dolum cum vulpecula, timiditatē cum  
lepoře, stultas ineptasq; gesticulationes cum simia,  
cum porco voluptates, tādiosam loquacitatem cum  
pica, φιλονεκτίαρις cum hirco, maledicentiam cum ca-  
ne alia cum alijs. Videmus diversi generis ani-  
mantia

mantia s<sup>a</sup>pe ejusdem domus convictu velut philothe-  
sio in cratere consuecere & cicurari, ut una vivere  
se eq<sup>z</sup> facilimē ferre possint. Homines vero raro vel  
necessitudine, vel conversatione, vel educatione eō  
redigi posse, ut remum, quod ajunt, pariter ducant.  
Quodnam enim in orbe ferarum genus reperias, quod  
simili vesania se mutuo mordet, lacerat, discepit;  
Quis nunc tutus esse potest à sycophantarum morbi-  
bus, si modo latum unguem à recto cursu divariet;  
Est profecto istud improbitatis atq<sup>z</sup> impietatis hu-  
manæ haud leve argumentum. Quod cum ita sit, *Conclusio Rost.*  
ordine sic poscente, ijs qui mecum in hanc quasi pa-  
lastram descenderunt, id à me exigentibus, de calum-  
nia & vitio vitiorum omnium pelago & seminario pro  
ingenij mei tenuitate brevissimè in hac & agoræ pero-  
rabo. Etsi vero ~~in pugna~~ hoc & alienum à Mu-  
sis literatorumq<sup>z</sup>, congressibus esse videatur, ut qui,  
quemadmodum cunctis alijs à vitijs: Ita à calum-  
nia maximē abhorrent: tamen cum nemo sit tam  
felix, quem non ea ut umbra corpus insequatur: digna  
profecto visa est, quæ sub styli incudem veniret. Vos *litter.*  
itaq<sup>z</sup> auditores officiosè compello, atq<sup>z</sup> enixè compre-

cor, ut me cui alias vires meæ sunt perspecta, circa  
immensam hujus rei molem, quæ robustissimum At-  
lanta requirit desudantem, benignitate vestra suble-  
vetis. Quod si mihi à vobis tribui concediq; sen-  
tiam, perficiam profecto, ut non modo vitium hoc  
extremè reformidandum; sed & omnes ejus complices  
tristissimo supplicij genere mactandos esse censeatis.

Primum itaq; omnium antequam ad calumnia-  
tores suo, quod aiunt, colore orationis meæ penicillo  
deformandos accingar, fontes hujus vitij teterrimi  
quorundam clarissimorum auctorum ductu ape-  
riam, & per quos veluti canales illud in mortalium  
vitam derivatum sit, indicabo. Plato eruditorum  
sui seculi dictator facile & Monarcha quatuor po-  
tissimum vitij hujus origines esse in libro de legibus  
contendit. Alij, inquit, morbo, alij iracundia, a-  
lij prava natura, alij vitiosa educatione flagitosif-  
fimo calumnia & crimini profusius fese dedunt. Sane  
hæc omnia summa in homine esse ad vitia & inpri-  
mis hoc de quo jam loquimur incitamenta, quis est  
qui non maximè intentis, ut ajunt, oculis contemple-  
tur; Etenim si reliquis exclusis ab uno duntaxat eo-  
rum ve-

rum veluti machina admota impugnemur quod,  
quæso fretum, quem Euripum tot motus tantas &  
tam varias habere putatis agitationes fluctuum :  
quantos æstus & quantas tentationes habere nos in  
propatulo est. Verum ut hæc omnia fiant evidentio-  
ra, libet mihi in quorundam scriptorum campos ex-  
spaciari, atq; ex ijs unum atq; alterum sententia flo-  
sculum, quo hi fontes exornentur, delibare. Cicero  
oratoria literaturæ signifer de animi morbis sic ha-  
bet : Animi morbi sunt cupiditates immensa, que  
mentem excedunt conficiuntq; curis. De excande-  
scientia tale Leucippæ dictum extat, quod cor hominis  
circumlatrans, rationem s̄ape furoris spuma quasi  
undis obruat, ut, quid moliatur, quid ve incepit,  
minime pervideat. Quid jam de prava dicam na-  
tura, quæ ubi hominis mentem veluti tabes invasit,  
nullo modo ab eo discedere aut expelli potest? juxta  
illud Flacci.

Naturam expellas furca, tamen usq; recurrit.

Quid tandem de educatione proponam vitio-  
sa, de qua, ut hoc mihi Salustius de suo dilar-  
giatur prestat omnino silere, quam pauca  
dicere?

dicere? Quemadmodum enim tota messis spes ab  
aratione dependet: sic tota provectionis etas ab educa-  
tione. Evidentissime itaque, appareat, quomodo ca-  
lumnia hinc originem suam trahat. Maxima e-  
nim hominum pars hisce sape stimulis concitata ra-  
tionis jugum excutit, & alijs gravioribus sceleribus  
furto, latrocinijs, fornicationibus &c. nedum ca-  
lumni & indulget.

Verum jam omissa Platonis sententia ad poë-  
tas abeo, & quam ipsi vitij hujus nefarij scaturigi-  
nem invenerint, depromo. Poetae veteres præsertim  
vero Hesiodus in Theogonia sua alicujus Dei Mo-  
mi mentione faciunt, qui matrem Noctem, parentem  
sonnum habuisse fertur. Hunc Deum natura ita  
esse efformatum tradunt, ut sua industria nullum  
opus promoteat, sed in aliena repub:  $\omega\lambda\upsilon\pi\alpha\gamma\mu\sigma\pi$ ,  
hoc est.

Sua perspiciat oculis male lippus inunctis,  
Ac in amicorum vitijs tam cernat acutum.

Quam aut aquila aut serpens Epidaurius, ut  
qua in ijs vitiosa repererit, inducta linea reiectat, &  
dispongat. Eum igitur Deum Poëta omnium ma-  
ledicorum

ledicorum antistitem esse,  $\ominus$  ab eo tanquam ex vivo  
gurgite eos omnes exundasse contendunt.

Iam verò nostræ etatis homines, qui sacramen-  
tum veræ religionis acceperunt, ut omnia alia im-  
portuna: Ita hoc etjam turbulentum vitij genus ad  
patrem Sathanam referunt  $\ominus$  detorquent. Quem-  
admodum enim in Hydra Lernæ, ut Poëta fabu-  
lantur, uno capite reciso alia 7. propediem sup-  
pullulant: Ita hoc auctore omniumq; scelerum  
architecto ac principe malum ex malo, tumultus ex  
tumultu seritur  $\ominus$  exurgit. Quis est ille qui tur-  
pia quaq; in propatulo habet? Diabolus. Quis est  
ille in cuius pectus vitia velut in sentinam confluxe-  
runt? Diabolus. Quis est ille qui omnia divina  
atq; humana jura truculentissimo malorum genere  
coquinavit? Diabolus. Quis est ille cuius vi-  
tam in artes moresq; varios dispalatam neq; ullæ ra-  
tiones pietatisneq; salutis inhibere  $\ominus$  refrenare pos-  
sunt? Diabolus. Quis deniq; est ille, suis qui con-  
sulis sycophantijs Protoplasis nostris imposuit?  
Diabolus.

B

Verum

Verum enim vero posthabita prolixiore de ortu  
columnia & disquisitione ad fidam exitios & hujus pa-  
rentis naturam & proprietates abeamus, easq; vera  
quod aiunt, de cuncte estimandas nobis proponamus.  
Vbi quidem illud in primis mihi latandum jure esse  
video, quod in hac benevolentissimorum auditorum  
frequentia talis mihi dicendi materia oblata est, in  
qua oratio nemini deesse potest. Dicendum est e-  
nun de Sycophantis & quadruplicatoribus, qui non  
metunt aliorum tacita judicia, sed ea omnia ca-  
lumnijs anticipant, & totam vitam non secus atq;  
upupa nidum suum fadissimo hoc vitij genere detur-  
pant. Hujus autem orationis difficilius est exitum  
quam principium invenire. Itaq; non mihi tam  
copia quam modus in dicendo querendus est.

Atq; ut inde oratio mea iterum quasi de novo  
proficiatur. Si quis humana & vita aleam profun-  
dus introspectat, propediem dubio procul animad-  
vertet, multa ab hominibus quotidie designari, que  
in hujus vitij quasi officina quadam atq; sede revo-  
ni posse videntur. Sapissime enim usu venire solet,  
ut alter

ut alter alterius cervicibus tela venenata intentet, alterum falso traducat, E prætextu juris ejus vita famæ E fortunis tendiculas atq; clandestinas insidias machinetur. Quod ipsum ij, qui sacro sancta justicia E juri præsident, experiundo quotidie cognoscunt. Ideoq; sapientissimè excogitarunt, istiusmodi quadruplatoribus omnem fidem abnegare, eosq; semper eò redigere, ut calumnia sua veritatem solennis juramenti sacramento confirment. Etsi autem hoc ipsum Calumnia vocetur: tamen si curiosius aliquantulum rem disquiras, videbis, hoc nomen sappiens E familiarius obtreclationi clandestinae tribui ignorare, in quem isthac accusationis Tragœdia adornatur. Unde à Luciano ita definitur. Etsi διαβολή κατηγορία τις ἐξ ἐφημίας γιγνομένη τὸν κατηγορόμενον λελυθεῖα, εκ τῆς μορφεύσεως ἀναντιλέκτως τεπισευμένη.

Fam vero quam turpis. E horrenda res sit ca- qua turpis ne calumnia ec:  
lumnia, quis non vel Tyresia cæcior animadvertisit: si modo dissipiat, quam tetra quamq; execranda ut Cæcias nubes ad sé attrahat, adeo ut omnium vitiorum profibulum commodissimè perhiberi posse videatur. Illa enim tam prope ei adharent, ut nullo modo

modo inde di velli, sed genuina ejus proprietates no-  
minari possint. Quarum prima tanquam Cory-  
phae  $\mathfrak{G}$  antesignana hæc est, quod Calumniator ab Aleph  
omni bono longè remotus, sit animal ex omnium sce-  
lerum importunitate  $\mathfrak{G}$  flagitorum sentia concre-  
tum, adeoq; minimè vir bonus. Age enim quomodo  
bohi viri nomen sibi arroget, qui obstinato  $\mathfrak{G}$  distor-  
to animo proximum perditum it, eiq;  $\mathfrak{G}$  facultatibus  
suis catenas sape scelerum conflat,  $\mathfrak{G}$  teclos laqueos in-  
tendit? Quemadmodum fumus latere ac quiescere  
non potest, sed foras semper prorumpit: Sic is e-  
tiam, cuius animum calumnia exercet, modò in hunc  
modò in illum petulantissima lingua insurgit. Ci-  
cero libro tertio offic: in bono viro hoc desiderat, ut  
profit quibus potest, noceat nemini. Vnde non du-  
biè colligis, calumniatorem non mereri viri boni co-  
gnomen, sed nequissimi,  $\mathfrak{G}$  profligatissimi. Ideoq;  
Antisthenes ingeniosè: Melius est, inquit, in cor-  
vos quam in adulatores  $\mathfrak{G}$  calumniatores incidere.  
Illi enim mortuos, hi autem vivos devorant: quip-  
pe lingua eorum gladius acutus  $\mathfrak{G}$  venenum affi-  
dum

dum sub labijs eorum. Notæ sunt omnium temporum  
historiæ, nota exempla, quæ hoc ipsum satis luculentè  
ob oculos nobis statuunt. Aristobulum Iudaorum  
regem, ut Antigonum fratrem contra omnes affectus  
ſosyæ furenti audacia ſeffrenata libidine op-  
primeret, movit fides sycophantis habita. Symma-  
chum atq; Boëthium viros ac eruditioñis laude præ-  
stantes Theodoricus Gothorum rex ideo è medio ſu-  
ſtulit: quod plus ὥτανεσαι apud eum & maledici-  
frivoli quam veritas potuerunt. Quid jam de  
Zoilo dicam? qui, quemadmodum apud Ephesios  
nōmen ſibi paravit Erostratus incenſo Diana fano:  
ita apud omnem posteritatem hyperbolica maledi-  
centia nobilitatus eſt. Interrogatus enim cur omnes  
bonos tanto studio maledictis ſuis increparent reſpon-  
dit, quoniam maleſacere cum velim non poſſum. O  
impudentiam hominis incredibilem! Talis fuit Pe-  
ro, qui Vergilium, Mevius qui Horatium, Ibis  
qui Ovidium probris diffamārunt. Talis fuit  
Cecrops, qui Hesiodi, Amphimanes qui Pindari, Ba-  
vius qui Simonidis famam atterere ſunt conati.

B 3

Talis

Talis fuit etjam Doletus nostro seculo, qui ineptis & spurcis versibus in Erasmum virum de literis optimè meritum perbacchatus est.

Caterum quemadmodum malitia semper cum injusticia miscetur, eamq; individuam sibi comitem habet: sic calumniator non malus solum sed injustus etjam convenientissimè nominatur. Cur enim injustum eum appellare dubites, qui est πλεονεκτικός hoc est, iniquus defraudator ac circumscriptor! potissimum cum Eucianus vir gravissimus auctoritatem suam interponat, ad quam velut ad sacram anchoram configio. Sic enim inquit: τὸ δὲ ἄνθρωπον τοῦ πλεονεκτικοῦ ἀδικίας ζεῖν. Enim vero calumniator totum auditorem sibi adserit, ejusq; aures inaudita altera parte loquacitatis sua vanitate obverberat & obtundit: imo quod caput est, alteri omnem occasio-nem tutandi sese adimit & praeccludit. Illud utiq; extrema est injusticia; potissimum cum justicia pro-prium sit, ut cum Platone loquar, neminem lēdere, & semper aliquid ex se promere, quod alijs proſit. Quomodo potest hic prodeſſe, qui alterum in tantas proiecit

projicit miserias, ut indicta causa ignominiosè damnatus, vel vita exnuatur, vel in custodiam compingatur, vel alio damno afficiatur. Sic sublatus est Socrates ac Phocion: sic periclitatus est Epaminondas ac Scipio. Quid autem hos commemoro: sic sublatus est omnis innocentia fons Iesus Christus. Ea sane extrema est injuria vel optimorum legislatorum judicio Solonis & Draconis, qui senatum Atheniensem jurejurando adstrinxerunt, ut pari benignitate utriq[ue] parti attendat. Sic enim Solonis lex præcipit: τὸ δικοίως ἀμφοῖρ ἀκροῦθαι δέ. Cui Hesiodi poëta sententiarum copia exuberantis exemplum, quod Plato tantopere dilaudat, non refragari videtur:

ΜΗΣ δίκην δικαστεῖς τοῖς ἀμφοῖρ μῆδοι ἀκέστεις.

Non enim judici concessum est, ut in alterutram statim partem excluso defensore inclinet: quemadmodum Circe illa Homerica dicebat, minus periculi inesse, si navis ad Scyllam potius inclinaret, quam si ad Charybdim. Etiam prudenter non minus quam providè à justissimo illo Monarcha Alexander facti

dro facilitatum esse accepimus, qui, cum altera aure  
 occlusa accusatorem audiret, interrogatus cur id fa-  
 ceret & dixit, se eam servare integrum reo. Relin-  
 quitur ergo indubitate calumniam ejusq; perditissi-  
 mos affectas totos ad injusticiam ferri: quippe plau-  
 sibiles judicum leges, qua utramq; partem simul au-  
 diri jubent, tanquam aranearum casses securi per-  
 rumpunt, muscis dunt axat & alijs miseris irretitis.  
 Prætereo jam & facile patior fiseri, quod, ubi tanta  
 calumnia vis injusticia veneno permista longo usu  
 invaluit, fides ibi, probitas, candor pereant: podo-  
 rem libido, timorem audacia, rationem amentia  
 vincant: Omnes ibi sine modo modestiaq; inva-  
dant, polluant, & devastent omnia: nihil pensi neq;  
sanceti habeant, quo ad semetipsos præcipitent. Ex his  
 itaq; emulations, ex emulationsibus similitates, ex  
 similitatibus odia, ex odiis factiones, ex factionibus  
 prælia, ex præliis infinitam stragem quasi fomento  
 subjecto enasci necessum est, ut non civitates solum,  
 sed & dinarchia & imperia integra periclitentur.

Sed ne elisis orationis mea cancellis remotius di-  
 grediar,

grediar, intra metas me cohipebo,  $\textcircled{E}$  subsequentes sy-  
cophantias proprietates disquiram. Hic autem pe-  
nitius mihi rem rimanti,  $\textcircled{E}$  de alijs calumni & vitijs  
adharentibus cogitanti, statim invidia sese offert. Invidia est con-  
sideranda. Ca  
qua tam prope ei connexa est, ut non solum ejus pro-  
prietas sed vera potius causa perhiberi,  $\textcircled{E}$  hic allegari  
possit. Proinde liquido affirmare ausim,  $\textcircled{E}$  sub o-  
mnium cognitionem devenisse arbitror eos, qui alijs  
speciosos titulos, domesticam Cornucopiam, eruditio-  
nis ubertatem, atq; alia bona invident, remis, ve-  
lisq; huic festinare, ut famam aliorum atterant, alios  
deprimant,  $\textcircled{E}$  viris improborum operum lapidibus  
et vitem post se Mausoleum in hac vita extructum  
relinquant. Exemplo est Themistocles, qui nauali  
pugna Xerxem repellendo,  $\textcircled{E}$  patriam a:q; univer-  
sam Graciam à Barbarorum jugo vindicando, tan-  
tis invidia telis percussus est, ut per deceunium exu-  
laret. Sic Aristides cuius cum gloriā in excelso  $\textcircled{E}$   
illustri loco ob virtutum rerumq; praeclarè gestarum  
magnitudinem sita esset, invidia iclibus resistere am-  
plius non valuit, sed eò tandem angustiarum deve-  
nit, ut

nit, ut Ostracismo in alienas terras ejiceretur. Ob-  
via sunt item alia complura exempla, quæ, si oratio-  
nis habendas laxare vellem, aptè huc referri possent.  
Eos tamen sicco, quod aiunt, pede praterire nefas reor,  
qui calumnia falsa atq; iniquæ tempestatibus sunt  
propositi, quorum hi potissimum: qui fines gloriae suæ  
non terræ sed cœli regionibus terminant: qui magnis  
honoribus splendidisq; titulis exornati præ ceteris e-  
minent: qui omnium rerum affluentibus copijs di-  
tati: deniq; qui ægide Palladis & gladio Mer-  
curij muniti, optimas virtutes tanquam in speculo terso  
ac polito circumferunt. Quemadmodum enim (ut  
cum Poëta loquar) feriunt summos fulmina montes,  
Eignis sursum semper volvitur: Sic detrectatio non  
humiles sed summos dicterijs lacerat & proscindit.  
Poëta omnis reconditæ literaturæ præsides ut Invi-  
dia: sic calumnia etiam domum in vallibus imis si-  
tam esse finixerunt, propterea quod homines his morbis  
obnoxij non excelso sed humili animo regantur: V-  
tramq; esse pallidam & virosam, eò quod invidus  
atq; calumniator non secus ac ferrum rubigine exe-  
datur

datur & tabescat. Nemo enim, ut dici solet, alterius  
virtuti invidet, qui sua confidit. Exemplo est Asi-  
nus Pollio, qui Ciceronis gloriam tam vehementer  
prosequebatur invidia & calumnia, ut ejus nomen  
molestiam sibi crearet. Probat hoc Iosephus, qui ideo  
a fratribus venit, quod ipsi ad virtutum illius ne  
umbram quidem accedere possent. Hinc Themisto-  
cles scite ait: Quemadmodum cantharides vegeto  
maxime tritico innascuntur, & rosis pulchre florenti-  
bus: Sic calumnia invadit maxime bonos viros  
atq[ue] in virtute proficientes, & ingenij personae gloriam sustinentes.

Venio nunc ad fadissimum mendacij crimen, cui Mendacij eni-  
calumnia tam arcte inheret, ut tanquam verissima  
species a genere suo nunquam possit segregari. Est  
enim omnium vehementissima, crudelissima, & per-  
niciossima, qua narrata ab alijs pro compertis, di-  
cta pro lectis, audita pro visis, falsa pro veris, infe-  
cta profactis hominibus persuadet: Ut dolium su-  
um ille Diogenes: ita sententiam voluit ac mutat  
crebro. Certè si ea in maleficij censum reponimus,

qua remotius ab eo distare videntur : ut sunt mendacia eorum, quibus negociationis alea est optabilior, quando nimisum sordidis suis mercimonij propugnaciam hederam suspendunt : *Vel etiam quando inconsideratè peierant, merces selecarius emisse juxta potam.*

Laudat venaleis qui vult extrudere merces.

*Aut quando debitores necessitate, qua homini nihil gravius esse potest à creditoribus ad juramentum adiguntur, & sine omni conscientia respectu perjurium faciunt. Vel tandem qui ex levitate nihil non configunt, illudq; in vulgus spargunt. Si inquam odio ea prosequimur, & malefacta esse deputamus : Quanto sane magis calida & palpabilia obtrectatorum mendacia ceu immanem quandam bestiam aversabimur, quæ eò saltē directa feruntur, ut collega vel amico detrimentum importent. Hoc enim in summis delitijs habent, & velut oraculum Delphicum venerantur, quod apud Pindarum legisse me commemini, qui non semper utile esse ait, claram veritatis faciem ostendere, ut alios objecto velut fumo circumveniamus. Verum enim vero licet calumniator*

niator veritatem ad tempus dissimulet: tamen ex  
verbis suis verum saepe elicitur, & immemor ex ser-  
mone deprehenditur. Ut enim mendacem: sic ca-  
lumniatorem et jam oportet esse memorem, ne videli-  
cet accus criminandi cupiditate animus, dum omnia  
suspecta efficere vult, aliud ex alio confundat, juxta  
sententiam Demetrij in Perseum fratrem clandestinè  
eum Philippo patri deferentem. Tum vero

Omnia cedunt  
Justiciæ, & nescit sepeliri in pulvere verum,  
teste Stigelio.

Caterum quod de Capitolio Romano accepimus,  
illud tanta varietate anathematum, tapetum, peri-  
stromatum, & tabulationum exornatum, & varijs  
colorum lineamentis distinctum fuisse, ut nemo orna-  
menta ejus satis numerare, ne dum pervidere posset.  
Idem mihi in execrabilis hoc turpisimi vitij monstro  
accidit, quod tam latè se diffundit, ut fæditatem ejus  
vix numerando percensere, nedum oratione possim  
complecti. Itaq; ut reliqua superiora: Ita quoq;  
gravissimum impudentia & temeritatis crimen pro-

C 3      bē in

fæditatem qui  
rati ex omnia

bè in calumniam cadunt & derivantur. In eo con-  
victior fines pudoris turbasse atq; perfregisse vide-  
tur, quia deprehenditur in eodem esse crimine, quod  
alteri intendit. Luscus enim luscum, ut est in pro-  
verbio, appellat. Tum vero quod ea configat, &  
pro veris pugnaciter adstruat, qua cassa nuce vanio-  
ra esse novit. Quae enim isthac iam horribilis est pro-  
tervia naturæ ordinem invertere, & veritatem fal-  
simonijs permiscere? Quin imo religiosam juramen-  
ti fidem aliquando interponere, & omnes circum-  
stantias locum, tempus, dicta, cui, gravissimè ex in-  
timi artificio depromere (fides enim, decus, pietas,  
postremo honesta atq; inhonesta omnia ipsi quæstui-  
sunt) ut facinus multis verbis connectum credibile  
efficiatur, & amici fortuna uno labefacta motu con-  
cidat. Quid quod nefaria isthac impudentia libido  
eò procerbit, ut non solum intra hos veluti cancellos  
subsistat: Sed & in impium Dei ter Opt: Max:  
contemtum sese efferat & laxet. Non enim Deum  
immortalem recordatus, timoris offendiculis Cru-  
ciatur, cum tamen ipse omnes nostros cogitatus ad  
perfectiſc.

*perfectissimum unguem teneat Prudentio auctore:*

Speculator adstat desuper  
Qui nos diebus omnibus  
Actusque nostros prospicit  
A luce prima in vesperam :

Hic testis hic est arbiter  
Hic intuetur quicquid est,  
Humana quod mens concipit,  
Hunc nemo fallit judicem.

*Quinimò qui summo legis rigore calumnia nobis  
interdixit, & gravissima supplicia ei interminatus  
est, qui in violatione mandatorum suorum pertina-  
citer perseverabit. Testatur hoc 8. decalogi praece-  
ptum. Adstruit ipse Deus qui prohibuit furtum in  
Levitico, eodem in loco prohibuit etiam obtrectatio-  
nem. Non mentiemini, inquit, nec decipiet unus-  
quisq; proximum suum, non eris criminator nec su-  
surro in populis. Hanc Dei severissimam commi-  
nationem cum contemnat calumniator, nonne impu-  
dentissimus est?*

*Quid jam reliqua turpisimi vitij hujus propria  
adjuncta persequar? Quae enim tanta potest existe-  
re ubertas ingenij quod tam divinum atq; incredibi-  
le genus orationis, quod omnes ejus partes non dicam  
percensere, sed copiosè exornare possit. Tacebo si ne-  
cessè est: Tacebo inquam: quoniam vitium hoc me  
tacente agit causam suam. Nunc enim quod pictores  
facere*

facere insueverunt, quibus cum in exigua tabella ingens hominum multitudo exprimenda est, non nullorum vultus tantum atq; ora, multorum summa modo capita ostendere, totum reliquum corpus abscondere convenit: Ita me quoq; cui infinita vitijs hujus partes in angustum brevissima orationis gyrum concludenda sunt, multa, qua si dilatarem, incredibile sui odium essent excitatura, delibare modo necessum est.

*almanach. ch  
rosdorff.*

Itaq; porro calumniatorem meticulosum quoq; dicimus, quod clanculum agat susurris, & instar ululae, qua in tenebris grassari incipit, in absentem calumnia sua aculeos emittat, nec audeat comminus congregari. Innuit id gravissimus auctor Pindarus: Detractores, inquit, in tenebris inane consilium volunt & humile. Si enim coram gladiis effrenata lingua districtis nos vulnerarent, mucrones eorum a jugulis nostris reijcere & retundere possemus. Videlimus sagittarios lepores insidiosè insectari, eosq; tandem ex occulto ferire. Videlimus gladiatores in varios sese torquere gyros, apertum Martem subter fugere,

fugere, & antagonistam à tergo fraudulenter adorari. Videmus eos, qui prater flamas & mortem milffirant, noctu per prodictionem civitates occupare, flagellare, secare, urere, lacinare cuncta quemadmodum Graci Trojanos: Sic maledici et jam collega & suo clandestinas instruunt insidias, & clam auditores versuta & probali actione mille modis fallunt. Quodipsum Hector ille Homericus Achilli objecisse videtur: Timidi solent conviciari.

Quid quod non timidè solum & clam rem aggreditur, sed ad insidiarum & fraudum machinas confugiant: & juxta sententiam Lysandri vulpinam esse pellem assumendam ducant, ubi leonina non proficit? Sapissime enim sese ei amicum simulant, in quem turpissimo livore ceu incendio astuant & deflagrant. Hi verè sicarij sunt, tegentes telum quo perimunt. Hi verè scorpij sunt, prius amplectentes quam aculeum infigant. Hi beneficis omnibus sceleratores, qui lethale venenum melle prælinunt, aliosq; in fatum Epimethij coniiciunt, ut se periretum demum sentiant, ubi perierunt, ne referre ab

D

exitio

exitio pedem amplius ad salutem possunt. Quam-  
primum enim nacti sunt alium socium, non secus atq;  
è dolio pertuso virus effundunt, & absentefurore &  
scelere inflammati in atrocissimos calumnias fluctus  
ac miserandam invidia tempestatem proturbant:  
quippe malus, ut vulgo dicitur, cum se bonum simu-  
lat, pessimus est. Prudenter id Isocrates innuere vi-  
detur, & calumniatores à quæ reformidari atq; im-  
postores jubet: Utq; enim laudent eos, qui fidem il-  
lis habent. Tum vero nihil tetrius, nihilq; pejus ijs  
esse potest, cum aliud in pectore clausum aliud in lin-  
gua expromptum habeant: & quidem admorso labro  
bilem intus alendo, comicafacie Tragediam merant  
repräsentent, ex gravissimi poetæ Homeris sententia:

Εθλα ἀγορέουντες κακά δὲ φεσι φυσοδομέντες.

Quemadmodum enim poma illa, quæ ibi nasci di-  
cuntur, ubi Sodoma & Gomorrha olim fuit, exterius  
nitent, interius vero carie & fatore squalescunt: Sic  
calumniator exterius opobalsama, interius vero nil  
nisi mera aconita spirat. Talis gnato fuit Ephestio in  
aula Alexandri, qui nil aliud studuit, nisi ut lutulen-  
tus sus

tus sus cum quovis voluntaretur. Tales etiam hoc  
ulcerato seculo sunt illi,

qui adverso nomen de nomine Iesu  
Ducunt, & verè mala gens contraria Iesu est:  
*Liberè vobis audientibus de vitijs disftuto. Nus-  
quam enim securius est vitia perstringere quam cum  
ex auditoribus nemo est, qui dicta possit invertere &  
ad se transferre. Dabitis itaq; veniam mihi, si e-  
gomet mihi non temperem, cursumq; istum violenta  
orationis revocandum esse minimè censem. Si qui-  
dem calunnia tam multis sceleribus perversitatis sua  
lumine pralucet, & plus detrimenti, quam ullum ex  
reliquis hominibus importat. Illa est qua plus nocet  
vulnere gladio inficto. Huic enim conveniens Ca-  
taplasma potest imponi, ne per negligentiam putre-  
scens, aut gangrena scatens insanabile reddatur. Ca-  
lunnia vero omne respuit malagma, nihilq; fomenti  
sibi applicari patitur. Aut certè licet hoc admittat:  
tamen non potest tam feliciter curari, quin cicatrix  
remaneat, quod Apophlegmate uno atq; altero gra-  
viter Erasmus significare videtur. Thearidas qui-*

C 2 ——— dam

dam cum gladium cote acueret, rogatus à quopiam,  
num esset acutus? Acutior, inquit, calumnia: gra-  
viter innuens rem omnium rerum nocentissimam esse  
calumniam. Hinc et jam Thessalus in aula Alexan-  
dri, calumniare, inquit, audacter, semper aliquid  
adhæret. Illa est quæ longe perniciosa nobis insi-  
diatur quam fur. Is enim bona tantum, quæ cate-  
roqui per se fluxa & fragilia sunt, depredatur. Hic  
vero famam, quam nemo bonus teste Salustio nisicum  
anima simul amittit. Quantum enim fama bonis  
præponderet, vel hinc maximè appareat, quod pari  
passu cum vita ambulet, & heroica quæq; ingenia  
vitam potius ipsam quam honestam famam profun-  
dere non dubitarint. Deniq; illa est, quam si com-  
pares cum omnibus alijs vitijs, superbia, avaricia,  
tenacitate, prodigalitate, ignavia, τολυπεγχυσών,  
& quicquid generis ejusdem, procul dubio deprehen-  
des, eam singulis istis fadiorem & pestilentiorem  
esse: quippe hæc quodammodo sibimet ipsis sunt con-  
tentia, nec reliqua vitia ad se attrahunt: Illa vero  
non secus atq; conchis imbricatis Iacobita alijs omni-  
bus circumfluit & redundat.

Satis

Satis vobis monstratas putamus tum rationes  
vitij hujus: tum periculorum inde emanantium atro-  
citatem. Novissimis Deum Opt: Max: ut omnia alia  
vitia: Ita hoc ipsum et jam omnesq; ejus complices  
odio plusquam Vatiniano prosequi. Cum defecerint,  
inquit scriptura, ligna, ignis extinguetur,  $\mathfrak{G}$  susurro-  
ne subtructo jurgia conquiescent. D. Augustinus  
summoperè exosus maledicentiam, mensa sua hoc di-  
stichon inscripsit:

Quisquis amat dictis absentum rodere famam,  
Hanc mensam vetitam noverit esse sibi.

Novissimis apud Ethnicos non aliud nomen fuisse  
execrabilius quam delatorum, sectorum, quadrupla-  
torum. Hinc ex lege 12. tabularum cautum fuisse  
aceperimus, ut, si quis falsimoniæ alicujus pronun-  
ciata æ esset convictus, è saxo Tarpejo præceps exturba-  
retur. Novissimam calumniam esse facinus atrocis su-  
perbum, nefarium, remotissimum ab omni humani-  
tate, lege, consuetudine: cultores et jam ejus esse im-  
probos, injustos, mendaces, impudentes, timidos, af-  
fidentatores, omniumq; scelerum receptaculum, collu-  
viem, sentinam. Tenetis fures inieclis laqueis de-

D 3

strangu-

strangulari eò, quod alienas opes surripiant, quæ ta-  
men possunt reparari: detractores vero famæ nostræ  
æternas allinere maculas, quas reliqua vita nec elue-  
re, neq; ullis impensis sartas ac tectas præstare potest.  
Auditivisti exempla summorum virorum, atq; on. ni-  
um gentium auctoritatem, nihil tristius nihil cala-  
mitosius esse calumnia: eam multis alijs maleficijs  
semitam sternere, & ex ea multa scelerum portenta  
velut ex equo Trojano effundi. Proinde unum-  
quemq; unice oratum & admonitum velim, ne ca-  
lumnia fidem adhibeat, sed aures rationis quasi ce-  
ra ad blandissima Sirenis cantum in perpetuum ob-  
turret: nec insidiatrici, per vigili, & astutissimæ vul-  
pecula dicto factore fenestrarum unquam aperiat: neq;  
vero et jam tela adeo venenata in quempiam,  
id quod unusquisq; sponte faciet,  
torqueat.

## D I X I.

Ad

# **EXCELSIOR AUREO**

## **AD DEVUM OPT. MAX.**

*Studiorum meorum ὡροσάτης, Graiarum actio.*

**H**Aec tenus infidum lymphis bullantibus æquor  
Te duce sulcavit nostra carina D E v s.  
Et lassata subit stationem mole saburræ,  
Rudera ne tumidis sparsa ferantur aquis.  
Ergo tibi gratæ quæ dem modulamina vocis,  
Insuetæ dederis quod mihi signa viæ :  
Curva cavernosis ne nos anfractibus antra  
Abriperent, sensus distraherentq; vagos ?  
Voce tibi psallam, vegetis ubi Apollo veredis,  
Conscendet nitidi dædala tecta poli.  
Voce tibi psallam, fessis Hyperione natus  
Hesperias mannis quando subibit aquas.  
Tu rege conatus, studiorum semper habenas  
Flecte, beetq; meum Spiritus almus opus.  
Acrius ut tandem Clarijs luctatus in arvis,  
Pallados exornem tempora flore mea.  
Et meliora feram, mihi conciliare favorem  
Quæ possint, doctis & sociare viris.









Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de  
/rosdok/ppn1042271518/phys\\_0036](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1042271518/phys_0036)

NAT  
PROP  
CA

Scripta &


M. MA  
Log

HER

Viro am  
DN. NIC  
RIGENSIS C  
Scholæ præ  
Meco



Exprimebat



TIO  
RA ET  
TATIBVS  
INIAE,

inclytâ Academiâ  
TIENSI,

sidio

BRASCHII  
coris publici.

SAMSONIO  
vono.

no & Consultissimo  
ECKIO, REIPVB.  
gnissimo, Ecclesiæ &  
tissimo, Domino ac  
servanter co-  
icata.

CHII  
Reusnerus. tIo I, e.